



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

XLII. Bischof Conrad von Verden bestätigt die von dem Markgrafen Otto dem Langen sich, seinem Vater, seiner Gattin und seinen Nachkommen gegründete Gedächtnißfeier, durch alle Geistlichen der ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

XLI. Conrad, Bischof zu Verden, weihet einen Altar zu Ehren des Apostel Matthias in der Katharinenkirche zu Salzwedel, am 22. November 1292.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Conradus, diuina miseracione Verdenfis Ecclesie Episcopus, vniuersis Christi fidelibus prefens scriptum visuris siue audituris salutem in domino sempiternam. — Igitur karitati omnium fidelium tam presencium quam futurorum volumus esse notum, quod cum Johannes, sacerdos, dictus de Domnitz, diuina inspirante clemencia vnum altare in ecclesia Katherine in Soltwedele de quinque choris siliginis, in molendino ante castrum Soltwedele sito singulis annis exfoluendis a Henrico dicto Perseual, burgenfi soltwedelenfi, propria pecunia emtis cum proprietatibus eorundem, facta libera resignatione omnium quorum intererat, ab Illustri principe karissimo auunculo nostro Otthone longo, Marchione de Brandeborch, comparatis, dotaussit; Brüninchus, molendinarius noue Ciuitatis, et Hencckinus, pellifex, habens domicilium extra muros Soltwedel iuxta hospitale scti. Spiritus, seruore deuocionis accenti duos choros siliginis de dicto molendino annuatim recipiendos post mortem suam ita quod quilibet vnum chororum ad emendandam prefati altaris dotem perpetuo possidendos cum omnibus iuribus et proprietatibus donauerunt, vnanimiter arbitantes et decernentes, quod post obitum dicti sacerdotis Johannis, qui eiusdem altaris possessione tanquam perpetuus vicarius pro beneficio quoad uixerit libere perfructur, memoratus Henricus Perseual, a quo similiter prescripte doti annua pensio vnus chori siliginis in sepe fato molendino cum plenitudine cuiuslibet Juris fuit adiectus, et sui heredes ius presentandi vicarium in sacerdotio constitutum et non alium inferiorum ordinum Clericum ad dictum altare perpetuo possidebunt, qui sacerdos siue vicarius perpetuus investitura et collacione ipsius altaris a preposito de Soltwedele receptis ante dictum altare officiare tenebitur, quemadmodum alia altaria Ciuitatis Soltwedele officari hactenus consueuerunt. Nos igitur huiusmodi dotis Collacione et iuris patronatus assignacione coram nobis racionabiliter factis ipsum altare in die beate Cecilie in honorem beati Mathie apostoli consecramus sub anathematis interminatione, ne quis prelibatam ordinacionem infringere, mutare uel quolibet violare presumat districtius inhibentes. In quorum omnium testimonium presentem paginam nostro sigillo fecimus communiri. Datum Soltwedel, Anno Dni. M^o. CC^o. Nonagesimo secundo, in die beate Cecilie virginis et martiris.

Danneils Kirchengesch. d. St. Salzwedel, S. 5.

XLII. Bischof Conrad von Verden bestätigt die von dem Markgrafen Otto dem Langen sich, seinem Vater, seiner Gattin und seinen Nachkommen gegründete Gedächtnißfeier, durch alle Geistlichen der Propstei Salzwedel, denen dafür freie Disposition über ihren Nachlaß mit Aufhebung des Spolienrechtes eingeräumt ist, am 1. August 1293.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis amen. Conradus, diuina fauente clementia Verdenfis Ecclesie Episcopus, vniuersis Cristi fidelibus presentis pagine seriem visuris siue audituris salutem in Domino sempiternam. Ne ea, que aguntur in tempore, simul cum tempore de-

labantur, necessarium est, ut ea, que perpetuam debent habere memoriam, in scriptis authenticis posita idoneorum uoce testium robur accipiant perpetue firmitatis. Eapropter scire cupimus presentes, nec latere uolumus posteros, quod magnificus Princeps auunculus noster predilectus Otto, dictus Longus, Brandenburgensis Marchio, ex interna uirtutum sui cordis gratia, honorabilem Virum Bertoldum, Prepositum in Soltwedele, fidelem et familiarem suum, et Clericum, Ecclesiam siue beneficia in suo dominio infra Preposituram Soltwedele possidentes, benigne dignatus est respicere, ut incertitudinem, quam de rebus ecclesiarum suarum seu beneficiorum habuerunt usque modo, in securitatem sua clementia dignatus est conuertere, et Seruile, ut ita dicamus, quo usque nunc fuerunt aggrauati, in eo uidelicet, quod res eorundem Clericorum post mortem ipsorum tanquam seruorum propriorum rapiiebantur de dotibus seu de locis alijs, in quibus poterant reperiri, in talem conuertere decreuit libertatem, quod nemo aduocatorum suorum, nemo ex parte sui uel ipsorum Aduocatorum, uel aliquis suorum subditorum, de rebus Prepositi supradicti et Successorum suorum et clericorum, qui in Prepositura Soltwedele nunc sunt, et eorum Successorum omnium mobilibus et immobilibus ante mortem, in morte et post mortem ipsius Prepositi et alicuius Clericorum predictorum et Successorum eorundem se intromittat, neque eas auferens alienet, siue in dote, siue extra dotem, siue alias constitutas, sed succedens in beneficio, succedat etiam in rebus, memoriam quoque sui antecessoris agat fideliter et persoluat sua debita, si forte aliqua iuste sint soluenda, quantum res inuente suppetant et facultates. Similiter ad solutionem debitorum accipiat de bonis Ecclesie quicquid super erogare poterit illo anno ultra precium officiantis beneficium sacerdotis. Idem autem successor postquam intrauerit beneficium, antequam se de rebus alicuius intromittat, coassumat sibi duos sacerdotes sibi proximos et duos uel tres de sua parrochia potiores, et ipsorum conscientia res suscipiat et faciat omnia facienda. Si tamen Prepositus uel aliquis Clericorum suum decreuerit condere testamentum, hoc faciat scientibus duobus sacerdotibus uiris probis et suis amicis specialibus aliquibus, et scribatur ordinatio testamenti, et sigillo Prepositi de Soltwedele sigilletur: et quicquid in tabulis scriptis inuentum fuerit post mortem Prepositi uel alicuius sacerdotis siue Clerici, hoc successor tenebitur adimplere. Prepositus uero predictus, et omnes Clerici sibi subditi, affectui memorati Principis alicuius respondere cupientes, cum bona uoluntate concorditer nostro accedente consensu se firmiter obligarunt, pro se suisque successoribus uniuersis, ad omnia infrascripta fideliter obseruanda, uidelicet quod omnes conuenient in Soltwedele in secunda feria Ebdomade Trinitatis singulis annis, et ibidem in Ecclesia beate Marie Virginis, memoriam prescripti Principis, uxoris sue et heredum suorum ac nostram, necnon omnium christi fidelium memoriam agentes, cum solemnitate Vesperal decantabunt de sancta Trinitate suppellicii induti, in mane uero matutinali solemniter decantabunt, post matutinali uero quilibet ipsorum missam de sancta Trinitate superadditis hijs collectis pro salute Principum, pro antistite, pro peccatis et pro uiuis et defunctis addatur oratio generalis: deinceps omnes erunt in summa Missa in choro, quam similiter solemniter decantabunt, et offerent in deuotione, unusquisque etiam ipsorum ad minus duos denarios dabit ad elemosinali pro salute prelibati auunculi nostri tunc ad nostram et omnium Christi fidelium erogandas; qui autem ecclesiasticum habet beneficium et Sacerdos non est, ille tenebitur eodem tempore in memoriam antedictam perlegere unum psalterium, in Ecclesia beate Marie Virginis antedicta diuini interesse, offerre et dare ad elemosinali ut sacerdos. Item in anniuersario clare memorie Patris prelibati Principis, auunculi nostri, conuenient omnes Soltwedele annis singulis et in Vespere uigilias solemniter decantabunt, mane autem unusquisque ipsorum missam pro defunctis celebrabit omnesque simul erunt in summa Missa in choro beate Marie Virginis, quam solemniter decantabunt et faciant offerendo

et elemosinas largiendo, sicut pro uiuis superius est descriptum. Collectas autem ad Missam de anniuersario pro parentibus Deus, cuius misericordie non est numerus, cum collecta fidelium Deus omnium conditor tenebuntur fideliter obseruare, et qui sacerdos non est in memoria defunctorum, unum perlegat psalterium, diuinis intersit officijs, offerat et elemosinas tribuat, quemadmodum in memoria uiuorum est expressum. Unusquisque preterea sepius dictorum Clericorum in ecclesia sua prefati Auunculi nostri, nostrorum, Uxoris sue et heredum suorum ac omnium eisdem famulantium, Patris sui et matris sue ac omnium progenitorum suorum uigere debet memoriam, publice singulis diebus dominicis et festiuis. Insuper a quouis Clericorum, ab aliquo subditorum sepefati auunculi nostri beneficiato, memoria sui patroni sive uiui, sive defuncti, similiter in sua Ecclesia est peragenda; ad laudem autem et gloriam beate Marie Virginis, unusquisque Clericorum finito completorio diei cuiuslibet dicet canticum Salve Regina misericordie cum uersu ora pro nobis beata Virgo Maria et Collecta omnipotentis sempiterni Deus, qui gloriose Virginis Marie corpus et animam. Porro post obitum auunculi nostri sepius recitati solemnitas anniuersarij Patris sui et progenitorum suorum in die sui anniuersarii in ecclesia beate Marie Virginis in Soltwedele ab omnibus Clericis et successoribus eorumdem in perpetuum peragetur in omni modo, prout superius est descriptum, similiter et heredum suorum, postquam decesserint, et nostra post obitum nostrum cum additione Collecte pro anniuersario Episcopi in die sui anniuersarii, qui solemniter perpetuo debet obseruari, cum progenitorum suorum et sua per clericos uniuersos et successores ipsorum memoria peragetur. Ut igitur omnia predicta per clericos memoratos et successores ipsorum in perpetuum fideliter atque infallibiliter obseruentur, ad penam omnibus superius memorata non seruantibus infligendam, idem clerici se et suos successores uniuersos in perpetuum sub anathematis uinculo obligarunt, uidelicet ut quicumque ex clericis modernis et pro tempore successoribus ipsorum aliquam de solemnibus memorijs agendis Soltwedele negligeret, si legitimam habuerit excusationem, postquam a Preposito de Soltwedele fuerit requisitus, infra dies quatuordecim proximis Soltwedele, legitimo cessante impedimento, in Ecclesia beate Marie Virginis memoriam, quam neglexit, peragere teneatur notorie clericis atque plebi, et quicquid ad memorial faciendas superius est descriptum, tenebitur adimplere; si uero legitimam excusationem non habuerit, tunc demum postquam a Preposito de Soltwedele fuerit requisitus, infra quindenam proximam Soltwedele ueniet, inde non recessurus, donec in Choro beate Marie Virginis Decies decantet magnas uigilias et totiens missam celebret in Ecclesia memorata, Ter quoque psalterium perlegat totum omniaque perficiat, que pertinent ad memoriam, quam neglexit, et hoc notorie clericis atque plebi. Qui auctoritati Prepositi sui mandatis in predictis non obtemperauerit, ipso facto ab officio suo et beneficio sit suspensus et prohibite sint ei omnes res sue Ecclesie, donec ista perficiat uniuersa. Ad ea quidem, que unusquisque Clericorum in sua tenetur facere Ecclesia, ut dictum est tam presentes quam futuri per excommunicationis uinculum sint astricti. Omnia uero supradicta quilibet Clericus per se facere teneatur, aut per illum, cui uices suas licite duxerit committendas. Nos uero Conradus, Dei gratia Verdenfis ecclesie Episcopus supradictus, hanc ordinationem, ab honorabili Viro Bertoldo, Preposito de Soltwedele, omnibusque suis subditis pluries repetitis, uoluntate atque consensu illustris Principis Carissimi auunculi nostri Ottonis Longi, Marchionis Brandenburgensis, mediantibus, prout in suis litteris exinde confectis euidentius declaratur, uoluntario atque unanimiter constitutam et approbatam ratificamus, ratam habemus et rogati ab ipsis, nostre confirmationis munere auctoritate, qua fungimur, roboramus, decernentes, ut quicumque ipsa nisi ex rationabili et legitima causa obseruare pertinaciter neglexerit, ipso facto excommunicationis sententia sit irretitus, quam sententiam precipimus per totam

Preposituram Soltwedele singulis diebus dominicis et festiuis, usque ad satisfactionem congruam publicari. In omnium igitur premissorum testimonium present scriptum nostro sigillo mandauimus communiri. Datum Verde, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio, Kalendis augusti.

Aus den Vaticanischen Regesten P. Nicolans V. Bgl. dessen Bestätigung vom 15. März 1453.

XLIII. Werner von der Schulenburg und Heinrich von Bodenstede bekunden, daß Arnold von Bodenstede einen Hof zu Biffum verkauft habe, am 1. April 1295.

Nos Wernerus de Schulenborch, Hinricus de Bodenstede, milites, omnibus Christi fidelibus hanc paginam inspecturis salutem in Domino. Que gerantur in tempore, ne simul labantur cum lapsu temporis, solent scripti testimonio perhennari. Nos itaque recognoscimus et publice protestamur, quod Arnoldus, filius Arnoldi militis bone memorie, dicti de Bodenstede, vendidit Iohanni dicto Homan, nec non Bernardo dicto de Blekede curiam sitam in villa Visczem pro IX marcis Stendal. soluentem annuatim in redditibus II choros siliginis minus modio et XXVII denarios ac pullum cum decima, quam dictus Arnoldus contulit pretactis duabus personis una manu iure pheodali, tali tamen conditione adjecta, quod si prefatus Arnoldus infra hinc et proximo die B. Martini Episcopi nunc venturo prelibato Iohanni et Bernardo prenominatam pecuniam vel aliquis suorum fratrum medio tempore non restituerunt pro eo, tunc sepedicti prefatam curiam iure pheodali possidebunt sine seruitio et cum omni iure. In hujus rei testimonium euidentis (presens) scriptum sigillorum nostrorum appensione duximus firmiter roborandum. Datum anno domini M^o. CC^o. XCV^o., in bona sexta feria.

Gercken's Diplom. I, 284. — Extr. hier B. V, S. 306.

XLIV. Markgraf Otto schenkt dem heil. Geist-Kloster in Salzwedel das Patronat der Kirche zu Altmersleben, am 14. August 1295.

In nomine Domini Amen. Nos Otto, Dei gratia Marchio Brandenburgensis, recognoscimus et istius scripture testimonio protestamur, quod nos Jus patronatus ecclesie in Altmersleben cum omnibus attinentibus et sicut vir probatus Dominus Henricus, nunc ejusdem ecclesie plebanus, eam possidet, sacro collegio fratrum in ecclesia sancti spiritus apud Soltwedele pure et simpliciter propter Deum donauimus eo modo, ut cum primum eam quocunque modo vacare contigerit, predicti fratres eam per aliquem de confratribus suis officianti et utilitates suas de ea qualitercunque faciendi liberam habeant facultatem. Supra dictum igitur sacrum collegium procurabit, quod in predicta ecclesia sancti spiritus ad determinatum altare in memoriam et piam recordationem omnium predecessorum nostrorum singulis diebus ferialibus fiat una missa pro defunctis. Ut autem hec nostra donatio perpetua permaneat et a posteris nostris inuolabilis perseueret, in testimonium euidentis presentes literas iussimus scribi et tam testium subscriptione quam etiam sigilli